

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 73.

---

*Secretum litterarium commercium inter vivos  
et vita functos.*

Plutarcho in Elysio.

Ex mundo superiore.

---

Elysium-Meum.-Die Veneris 20 Oct. 1809. (Neov 3 Oct. 1809.)

---

**N**oli murmurare in Urna tua eximie Biogra-  
phe! faciam hodie experimentum, quo edo-  
cebere, & nobis esse viros, quos, si non prae-  
stare, æquare ceteratione excellentem virtu-  
tem conantur tuam. Est in eorum coetu au-  
ctor novissimæ historiæ orbis, qui Biographi-  
am clarissimi viri texit, politicum stadium *Mar-*  
*chionis Wellesley* describit, lege, sis, & arbitrare;

Anno 1809 Marchio Wellesley Portomu-  
thi ad oram Donnegaliæ vela dabat ventis  
Gades seu M. Britannicus legatus profecturus;  
Vir illius experientiæ, psychologicæ scienti-  
æ, solidi characteris, prudentiæ, qua Wel-  
lesley enitet, ad majora quam personam le-  
gati ludendam natus est. Nec probabile est,  
celebrem hunc Politicum a secretiore M. Bri-  
tannico Conclavi ea ex ratione delectum: ut  
qui plura jam regna supremo cum imperio  
moderatus, ut; inquam, apud Hispalensis In-  
surgentium Juntam negotiorum gestoris provin-  
ciam gerat, vulgarique: Infrascriptus, pleni-

potentatus, verbulo nugetur. Vir, qui triumphos de Tipu Saibio retulit, qui Marattos subjugavit, qui fulgidam Delhim occupavit, vir, qui Gallos, Gallos dico, quibusvis Indiarum orientalium oris exegit, destinatur ad bellum continentis adversus Galliam formidabilissimum pertinacissimum, diutissimum proconsulari cum potestate seditiosæ Hispaniæ præeundo, moderandum.

Lordius Wellesley in munere Generalis Ind. orient. Gubernatoris spatio 17 annorum dotibus dexterrimi, laboriosissimi, acutissimi Politici se excoluit; ipse durante sua administratione inexhaustibilis Indiæ potentiam Britannicæ societatis ibidem magis, quam cuncti præcessores sui extendit. Erat imperans, bellidux, legislator, mercator, verbo: in uno, eodem tempore omnia.

Quem latet nomen Tipu Saibii regis Mysore, Hyder Alyi filii? Infelix hic princeps, qui inquietam solum ambitionem distitutam ingenio paterno hæreditate acceperat, quique M. Britannicæ Indias orientales sæpe numero graviter satis exagitaverat, per Wellesleyum vita & regno exutus est. Continuo Imperans Mysore, hic „bellicus Propheta” qua compellatione se ab adulatoribus vocari gaudebat, queque machinarum bellicarum inscriptiones eum insigniebant, continuo inquam fidus Galliarum foederatus erat. Cum per revolutionem hoc praesidio orbaretur, mansit nihilominus eum Angiorum odium, solus gloriose adversus præpotentiam dimicavit, usque

dum exercitus Wellesley duce Cornvallia die 9. Junii 1790 intra ambitum Travancora iudisset, & in perpetuum eum fregisset. Wellesley graviter percusso Imperanti die 17. Martii 1792 pacem dictavit dimidia regni parte, tribusque millionibus libr. Sterling. tolerabili satis pretio redemptam. At ejus animi affectus nondum divisos se senserunt, viribus solum exhaustos. Pax erat solum inducis plurium annorum. Typpu ultionem, Wellesley reliquis regni Mysore spirans Anno 1798 æquali fervore bellum restauraverunt. Indiarum regnum in prædam cessit Anglorum, Typpu occubuit fertiter, ut heros in ipsius metropoleos suæ Seringapatnam manibus. Hac ratione Wellesley regnum societatis Ostindicæ auxit resquialtero millione Incolarum & territorio plus mille centum quadrata milliaris in superficie continente.

Cum Anno 1798 Galli Aegyptum occupasset, W. Clasticulam expedivit in mare rubrum, ex ea quoque parte patriæ suæ hostes adoriturus. Majoris vero efficacis erat contra eos bellum in ipsis Indiis, in quibus eos pertinaciter semet defendentes omnibus possessionibus ejeicit, usque dum signa Britannica in omnibus oris hujus veteris & novi orbis Ophiri victorioso defixa dominarentur. Ipsa Magni Mogolis metropolis, vetus Delhi portas ei pandere debuit, armisque adactum Mogolis vastum imperium parvæ Septemtrionis Insulæ tributum pendere! —

Politica prudentia sua *Wellesleyus* Indicos Status in continua inter se discordia tenere novit. — Continuo æmulationem eorum adversus potentissimum excitare calluit; continuo eam in rem suam vertere, debiliores in suum foedus pellicere — quo factum: ut potentes sibi subiceret, imbelles vinciret, & munificentiam insuper prætenderet. Generalis Britannicæ Gubernator usque non quævit, quo jugi impatientes Marattos, quorum princeps Sciandiah & Holkar in annalibus illarum partium nimis quam celebres facti, ad obsequium adducti fuissent. *Wellesleyus* erat, qui prudentiam veteris Romæ ad subjugandas gentes adhibuit moderante fortuna Cortesii.

At quem fugit: magnæ fortunæ commitem esse invidiam? Vir ille, qui Britannicæ Indicæ extensionem procuraverat, quantam magnitudinem neo Portugallia, Hispania, Gallia habent, numero Incolarum duplo, & triplo majore, quam populatio Britannici in Europa regni non habet — is vir a vilis animalium hominibus, quibus & Angliam refertam esse coniecere licet, non potuit indifferenti oculo considerari. Et reapse societas Ostindica tacite gratulabatur, audaci & iudicis viro se liberatam, fortassis solia Persiæ, Sinaëque subruturus fuisset. — Immanibus suis ad occupandas Indias intensionibus debitorum Societatis vim ad 18. milliones provexit, eamque ad eam necessitatem deduxit, ut continuo tumultus subjugatorum, aut tributatorum principum armata vigilantia spectaret.

Lordius itaque Wellesl-y ex provincia revocatus, eique successus Anno 1805 in Indiis orientalibus Lord Cornwalliæ. Cum defunctus provincia Gen. Gubernator, ineunte anno 1806 patriam in Europa oram repeteret, turba populi fanatico gaudio perfusi ei obviam procurrunt; actores ad communem jubulum obmutuerunt. — Ingressus ejus postliminius in augustum Curiae superioris Collegium, adæquavit ovationem. In Curia Communium quidam Magister Paulus in Sessione 27. Jan. 1805. provocationem intendit quidem ad inquirendum in ejus administrandi rationem; aliquique de Curia acriter adnisi suspiciones jam adversus bonitatem ejus agendi rationis, jam adversus rectitudinem voluntatis ejus excitare; Marchio pollebat admiratione patriæ suæ, cujus splendorem is in Asia diffudit, ut nemo antecessorum ei comparari possit, quævis in eum vibrata tela reflectebantur. — Imode eo agebatur: ut Gubernator emeritus Foxio in secreto conclavi succedat — profecto Wellesley fortassis plus, quam umbra Pitil evassisset. —

Hic igitur ille vir est, quem aula Londinensis elegit, ut impioatis, atque summo saelebrosis Hispaniæ rebus præfesset. Ast primis jam adventus sui ad terram Cantabrum diebus perspexit illustris Comes, toto, ut ajunt, coelo diversum ab ostindica, agendi sphaeram aperiri alacritati suæ campum — reperit gentem fanatico æstu percitam, anarchia solutam, exercitum disciplinæ expertem, duces impe-

ritos & experientia destitutos; discordes inter se, auctoritate carentes; regimen absque Junta, nomine Ferdinandi VII. absque nervo rerum gerendarum, absque anima, & absque potentia.

Prima conversio, quam Comes adorna-  
verat erat abrogatio Juntae, & supremæ pote-  
statis in unum (Archi Episcopum Toledanum,  
derivatio; Copiis belliduosam Generalissimum  
D. Arthurum Wellesley. Lordii Wellington di-  
gnitate insignem, præfecit. — Archi Præsul his-  
panus, & Archistrategus Britannicus vide-  
bantur in ejus manibus instrumenta conversio-  
nis tumultuantis Hispaniæ saltim destinari.

Hactenus novus Plutarchus. — quid Mar-  
chio W. deinceps acturus sit experientia do-  
cebit, ad hoc tempus eventa in hac regione  
sinistrum pro Anglis successum habuere. Mo-  
nitor de 28. Sept. complectitur gallica & an-  
glicana nuncia de hodiernis belliois in Hispa-  
nia eventis, e quibus intelligitur, exercitum  
Anglicanum e regione Madriti Tagum usque  
repressum esse.

Noviores Madrito de 16. Sept. relatio-  
nes sic sonant:

Die 12. rex isthuc revertit exacta ex qua-  
triduo in Fano S. Ildephonsi mora. In hoc  
perfecta tranquillitas viget, secus qui fieri  
posset, ut interni negotiis diggerendis, puta:  
abrogandis Coenobiis, politia erigendæ opera  
impendi posset? Monitor hesternus ex angli-  
canis Ephemeridibus Globe nuncupatis de 19.  
Aug. continet Conspectum status Europæ,

quem diversis in locis notis illustrat. — Ita in contextu memorati argumenti innuitur: **Monarchiam Austriacam nequaquam censi adeo debilitatam ac post aciem Austerlitzensem, „cum nulla in mola ventosa habiti colloqui mentio recurrat” adnot. Monit. si colloquium locum non habuit, ratio est: quod Napoleo id noluerit; cum primum, quo is in pacem consensit, nullam memoriam reliquerit, alter conventus novus loculenter frustraneus erat, quod differentiam adjuncterum Austriæ exactis ad Austerlitz & Wagramum præliis attinet, ad hæc reducitur: die post pugnam ad Austerlitz fouderi Russiæ confidere potuit, quæ alteram copiarum agmen ad Vistulam erexit. Borussia post Conventionem 2. Nov. partem in bello habere potuit; denique exercitus A. Ducis Caroli nullam passus jacturam, offensive agere potuit. Notabile munimentum Laurinum, partesque anteriores Hungariæ non erant a Gallis occupatæ. Saxonia nondum in foedere Rhenano, & tamen Dresdæ positio non est adiafora; denique Ducatus Varsov. eorum Boruffo parebat, necdum existebat exercitus Gallicianus, qui hodie Moraviæ imminet. De præsentis vero omnes Austriæ vires adgressionem sustinuerunt. Exercitus Italicus, cui Archi Dux Joannes præest, potenter imminutus plurimum tyronibus referus est; Magnus Archi Ducis Caroli exercitus Ecknühle, Ratisbonæ, Eslingæ, ad Wagramum fortiter dimicans multos Excellentes amisit, dux metu genii dominantis ductus imperio**

militari abdicavit. Aequè magnum discrimen est quo ad internum Monarchiæ statum. Post pacem Poson. Galli ditiones Austriacas vix transivere, præsens eorum jam quadrimestris commoratio, eorum Austria nondum adeo intendit vires, populatio necdum jacturam tulit, nunc integræ provinciæ per provincialem militiam attritæ, nonnullis pagis viri deficiunt. Eorum omnia animos excitandi media, quæ nunc utebantur, suppetebant, quæ jam nunc adhibita. Monarchia & incolis & rebus labefactata. Ex quo adjunctorum post fata ad Austerlitz & Wagramm sive, & descriptione, sunt qui concludunt: pacem necessario sequi debere, novumque bellum non modo non consultam, verum nec concepibile esse.

Ita Ephemerides — at quæ basis? — querunt hæc in linea inducibili: *uti possidemus* — cum vero: *uti possidemus* utrumque Danubii latus adficiat, idcirco tractari (putant) qua ratione uti possidemus in uno per alterum latus compensari valeat. — Quod in una parte decedit, ex altera compensandum, (putant) Ex hoc præagiunt mutationem dextræ Danubii oræ, cui vero magnæ operationes præcedere debent; — hinc innocenter prorsus Norimb. Ephem. ajunt: agitari de foderè Galliam inter & Austriam fortassis *ad hoc*: ut grandi operationi via præstruatur, hæc rerum & hodiernarum tractationum faciem, qui optime edocti, (videntur) concipiunt.